

betur voluntatis actualis operatio, sed tantum animi dispositio, et habitualis quædam inclinatio. Aliud foret, si intentio mea ad aliquam qualitatem actualiter dirigeretur, dicendo v. g. vel cogitando. Volo hanc, et non aliam rem emere, vel volo emere, si hæc vel illa conditio adsit, vel absit; tunc enim cum voluntas nonnisi in objectum tali qualiter affectum feratur, verus consensus deest, si qualitas abest. Et ita abesse videtur, quoties defectus versatur circa substantiam, vel ad finem intentum inutiles reddat merces; eo quod voluntas actualiter dirigatur ad hanc, et non aliam substantiam, v. g. vinum non cerevisiam: simulque actu intendat rem pro fine utilem, non vero inutilem comparare. Ita post alios ad propositum sapienter discurret Friderich, h. t. n. 326.

§ XI.

DE LÆSIONE ULTRA DIMIDIUM, ET ACTIONE OB ILLAM COMPETENTE.

326. *Proponitur status questionis.* — Contingit non raro etiam in rebus nullo penitus vitio, aut defectu, vel saltem nonnisi manifesto, qui utrique contrahentium patet, laborantibus, lædi unum contrahentium in pretio; et hoc vel ex mutua ignorantia, vel ex deceptione alterutrius: ut si v. g. emptor dolose, vel ex ignorantia persuadeat venditori, rem minus valere, ac revera valet; vel e contra venditor inique, vel pariter ex ignorantia credere faciat emptorem, rem plus valere, quam a parte rei valet: vel unus absque alterius persuasionem rem aliter, ac meretur, aestimat, sicque vilis emit, vel carius justo vendit cum alterius contrahentis læsione, ac detrimento. Hinc, quia contra hujusmodi lædentes non datur actio redhibitoria, nec quanto minoris, indagatur in præsentem, an, et quomodo jura succurrant taliter in pretio læsis.

327. *Regulariter loquendo, læso in pretio non competit de jure civili actio; nisi læsio sit ultra dimidium.* — Queritur I. An cuius qualitercunque in pretio læso succurrant jura, actionemque contra lædentem admittant? Resp. I. Regulariter loquendo, neque in foro civili, neque canonico externo, ulli in pretio læso directe succurritur, vel actio conceditur contra lædentem, nisi sit læsio ultra dimidium. De jure civili certum est apud omnes ob expressam dispositionem celeberrimæ illius legis 2. c. de Rescind. vendit. et l. Si voluntate. 8. c. eod. ubi habetur, « neque bonam fidem, neque ullam rationem concedere, rescindi contractum, nisi minus dimidia justii pretii, quod fuerat tempore venditionis, datum esset. » Ratio est, ut communiter advertunt doctores ne nimium multiplicentur lites: cum enim hujusmodi læsiones in pretio sint frequentissimæ, et quasi quotidianæ, nullus esset finis litium, si cuius ob quamvis læsionem actio concederetur: unde merito jura statuere, quod ubi læsio ultra dimidium non esset, nullus in foro externo audiretur.

328. *Idem est de jure canonico, loquendo de foro externo.* — Quod neque de jure canonico in foro externo ecclesiastico læsis in pretio directa concedatur actio, nisi læsio ultra dimidium, tenent Palao, disp. 5. de Justit. commut. punct. 17, § 2, n. 6, allegans communem; Pinel, in l. II. c. de Rescind. vendit. p. 2, c. II, n. 36; Haunold., tract. X. cap. I. n. 236. cum communi aliorum. Et probatur ex c. Cum dilecti. 3. et c. Cum causa. 6. h. t. ubi juri civili conformiter nonnisi læsis ultra dimidium conceditur actio contra lædentem: nec extat ullus canon, infra dimidium læso actionem concedens, vel legibus quid contrarium statuens. Ubi autem leges non contradicunt sacris canonibus, etiam in foro ecclesiastico sunt servandæ: « Nam sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum principum constitutionibus adjuvantur, » ait Pontifex c. I. de Novi oper. nunt. Quod tunc præcipue procedit, ratio dispositionis civilis etiam in foro ecclesiastico militat; uti in præsentem res se habet: cum diminutio litium (quæ est ratio dispositionis civilis) vel maxime attendatur in foro ecclesiastico, utpote cui proprium est, lites pro possibili amputare et evitare, prout liquet ex tota dist. 90.

329. *Succurritur tantum hoc jure læsis per denuntiationem evangelicam.* — Dicitur notanter « actio directa neque in foro ecclesiastico » conceditur, quia indirecte, per viam scilicet denuntiationis evangelicæ in hoc foro succurritur etiam læsis infra dimidium, eatenus, quatenus, si, qui læsit, admonitus non restituat, denunciari possit judici ecclesiastico, qui eundem per censuras et alias pœnas ad id compellere valet, ad quod sub peccato mortali tenetur, arg. c. Novit. 13. de Judiciis. Et hoc est, quod dicere volunt Navarrus, in c. Novit. de Judiciis.

§ XI. DE LÆSIONE ULTRA DIMIDIUM, ET ACTIONE OB ILLAM COMPETENTE. 491

notab. 6. coroll. 13. princ., Fachin., lib. II. c. xxv. et alii, dum dicunt, etiam læsos infra dimidium in foro ecclesiastico audiri, ut proin merito ab aliis citentur tanquam conclusionis adversarii.

330. *In foro interno etiam infra dimidium lædens ad restitutionem tenetur.* — Resp. II. Non obstante, quod in ullo foro externo concedatur actio contra lædentes in pretio, nisi læsio sit ultra dimidium. Nihilominus in foro interno quivis etiam infra dimidium lædens ad restitutionem tenetur; etsi ex ignorantia et bona fide læserit. Divus Thomas, 2. 2. quæst. 77, art. 1; Molina, disp. 350; Covarruvias, reg. Possessor. 2, p. § 7; Pirhing, h. t. n. 26; Navarrus, Layman, loc. cit. n. 5 et 6; Palao, loc. cit. n. 3, eoque teste communis et certa aliorum. Ratio est, quia ita exigit justitia commutativa, quæ in contractibus dominans servari vult æquitatem. Quia « Jure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento et injuria fieri locupletiorum, » reg. 206. ff. Reg. Jur.

331. *Nisi læsio sit valde modica; vel major quædam; sed jam præscripta, aut condonata.* — Intellige tamen conclusionem conformiter dictis n. 124. ubi diximus, levem, et modicum excessum neque in foro interno attendendum esse, ob rationem ibidem allatam. Limitatur etiam conclusio in casu, quo quis bona fide lædens, excessum jam præscripsit; vel bona fide consumpsit, ditior inde non factus: vel læsus læsionem condonavit: uti abunde ex dictis patet.

332. *Ob læsionem ultra dimidium competit actio venditori.* — Queritur II. An tam emptori, quam venditori ultra dimidium læso concedatur actio? Resp. I. Quod venditori ultra dimidium læso concedatur actio, certum et indubitatum est apud omnes, eo quod tam leges civiles, quam sacri canones actionem venditori expresse concedant. Sic enim sonat celebris illa jam citata l. II. c. de Rescind. vendit. « Rem majoris pretii, si tu vel pater tuus minoris distraxerit, humanum est, tu vel prelium te restituente emptoribus, fundum venundatum recipias auctoritate judicis intercedente, vel si emptor elegerit, quod deest justo pretio, recipias. » Concordat, pariterque de venditore læso, et quidem solo loquitur l. Si voluntate. 8. c. eod. quod idem faciunt c. Cum dilecti. 3. c. Cum causa. 6. h. t. ut proin extra controversiam sit, venditori contra emptorem actionem competere ad hoc, ut emptor vel iterum

restituatur rem eidem venditam vel pretium suppleat; casu quo venditorem ultra dimidium læsit, v. g. pro merce centum florenis constante, quadraginta et octo tantum florenos, vel adhuc minus pretium dando. Verum hoc ipso, quod de solo venditore disponant allegata jura, controvertitur, cum etiam emptori contra venditorem in pretio lædentem actio competat.

333. *Et emptori. Correlativorum idem est judicium, eademque disciplina.* — Resp. II. Actio et beneficium l. II. c. de Rescind. vendit. etiam emptori contra venditorem competit, ad hoc, quod si ultra dimidium justii pretii pro merce dedit, compellere possit venditorem, ut vel excessum pretii restituat, vel refuso toto pretio rem venditam iterum recipiat, Abbas, in c. Cum dilecti. 3, h. t. n. 3; Molina, disp. 349; Pirhing, h. t., n. 25; testeque Haunoldo, loc. cit. n. 340, communissima, ac receptissima tam textuum quam juristarum sententia contra Cujacium, lib. XVI, observat. 48; Robert, lib. II. Animadvers. cap. XIII; Gibal. et paucos alios. Probatur conclusio. Emptor et venditor correlative opponuntur; atqui in correlative oppositis, quod de uno statuitur, censetur etiam statutum de altero; si eadem de utroque militat ratio, ut in præsentem arg. l. fin. c. de Indict. juncta l. Cum emptor. ff. de Rescind. vendit. l. I. c. de Cupressis. L. S. C. de Metallis. Hinc illud vulgatum, « Correlativorum idem judicium, eademque disciplina. » Barbosa, Axiomat. 61. citans alios.

334. *Ubi eadem est ratio, ibi idem est jus.* — Confirmatur, quotiescunque aliquod beneficium legis principaliter meritis causæ, et non intuitu personæ conceditur, tunc ubi eadem est ratio et causa, idem concessum censetur beneficium; etsi lex de una tantum persona loquatur, l. Ideo. 27. ff. de Legibus. ibi: « Semper quasi hoc legibus inesse credi oportet, ut ad eas quoque personas, et ad eas res pertineant, quæ quandoque similes erunt. » Et merito quia « non possunt omnes articuli singillatim aut legibus, aut juris consulto comprehendi: sed cum in aliquo casu sententia eorum manifestata est, is, qui jurisdictioni præest, ad similia procedere, atque ita jus dicere debet l. Non possunt. 12. eod. » Hinc Glossa, in l. Illud. ff. ad Legem. Aquil. ait: « Ubi eadem est ratio, ibi idem jus esse debet: » atqui revera ad præsentem eadem est ratio inter emptorem et venditorem, ipsumque beneficium legis 2, c. de Res-

ciñd. vend., non intuitu personæ, sed meritis causæ concessum videtur; cum penitus non appareat, cur potius venditori quam emptori læso actio, et beneficium præfatæ legis concedatur; ergo.

335. *Læsiō ultra dimidium in venditore quomodo computanda.* — Quæritur III. Quomodo læsiō ultra dimidium sit computanda? seu, quod idem est, quid sit lædi ultra dimidium justii pretii? Resp. I. Læsiō ultra dimidium justii pretii respectu venditoris est, quando eidem nec media pars pretii justii infimi, quo res tempore venditionis æstimatur, ab emptore datur: v. g. si pro re, quæ tempore contractus secundum pretium justum infimum centum florenis æstimatur, dantur quadraginta et octo floreni, dicitur venditor læsus ultra dimidium. Est certa, et unanims, arg. l. II. c. de *Rescind. vendit.* ibi: « Minus autem pretium esse videtur, si nec dimidia pars veri pretii soluta est: » id est: « justii pretii, quod fuerat tempore venditionis, l. Si voluntate. 8. c. eod. » Et quidem infimi (casu quo ematur res pretio naturali seu vulgari habente summum, medium, et infimum pretium) quia cum infimum pretium adhuc sit justum pretium, et emptor medio, vel summo pretio emere non teneatur, venditor ultra dimidium justii pretii lædi non dicitur, si quantitas soluta mediam saltem partem justii pretii infimi efficit, vel superat; etsi mediam partem justii pretii supermi vel medii non attingat, prout bene docet Covarruvias, lib. II. *Variar. resolut.* cap. III, n. 3; Molina, disp. 349; n. 3; Rebell., de *Obligat. justit.* p. 2, lib. IX, q. 3, sect. 4, alique doctores qui in hoc, sicut et in tota conclusione de læsiōe ultra dimidium respectu venditoris conveniunt. At vero plurimum controvertunt, an eodem modo computanda sit læsiō, qua læditur emptor, ita ut hic dicatur læsus ultra dimidium justii pretii, si ipse pro re quæ tempore contractus juxta infimum pretium justum valeat centum, dat centum et quinquaginta duos florenos. An vero solum, si loco centum dedit plusquam ducentos florenos.

336. *Quomodo in emptore.* — Resp. II. Læsiō ultra dimidium justii pretii tangens emptorem, eodem modo et mensuranda, quo illa, qua læditur venditor; ita ut emptor quoque revera ultra dimidium justii pretii læsus dicatur, si ultra justum pretium infimum v. g. centum florenos, quo res tempore contractus æstimabatur, dedit plus

quam mediam partem dicti pretii v. g. quinquaginta duos sicque in summa centum et quinquaginta duos florenos. Covarruvias, loc. cit., n. 8; Guttierrez, p. qq. quæst. 133; Molina, disp. 389, n. 2; Lessius, cap. XXI, n. 20; Layman, loc. cit., n. 7; Palao, loc. cit. punct. 17, § 4, numer. 3; Pirhing, h. t. n. 25, dicens hanc sententiam esse communem, veriore, et æquiore. Eandem sententiam tenet Glossa, in cit. l. II. c. de *Rescind. vendit.* et in c. *Cum causa.* 6. h. t. §. *Dimidium*; Bart. Bald. et alii legistæ complures cum communi textum et canonistarum, contra Abbatem, in c. *Cum dilecti.* h. t., n. 2; Cujacium, lib. XVI. observ. 18; Fachin., lib. II. cap. XVI; Mynsig. centur. 4. observ. 73, n. 4, qui pro se allegat communem sententiam modernorum legistarum, praximque Cameræ imperialis.

337. *Læsiō ultra dimidium æqualiter computari debet in venditore, et emptore: et probatur.* — Probatur conclusio: juxta dicta supra n. 333, emptor ac venditor ob identitatem rationis, et quia sunt correlativa æqualiter gaudent beneficio legis. 2; c. de *Rescind. vendit.* uti plures nobiscum fatentur adversarii; ergo æqualiter computanda est utriusque læsiō ultra dimidium in ordine ad instituendam actionem, et fruendum beneficio legis, ita, ut ea quantitas, quæ sufficit in uno, sufficiat etiam (cæteris paribus) in altero ad constituendam læsiōem ultra dimidium justii pretii, indeque instituendam actionem conformiter, lib. II. c. de *Rescind. vendit.* Subsumitur: atqui in sententia adversariorum non sufficeret eadem in utroque, sed requireretur duplo major quantitas in emptore quam in venditore; ergo. Probatur subsumptum sequenti exemplo: quando fit emptio venditio rei constantis centum florenis, dicitur venditor ultra dimidium lædi, si nec dimidia hujus pretii pars, nempe nec quinquaginta floreni ei dantur, ipseque plus quam in quinquaginta v. g. in quinquaginta duobus lædatur; prout fieret, si eidem tali re vendita tantum darentur quadraginta et octo floreni: atqui eadem læsiōnis quantitas in quinquaginta duobus v. g. consistens non sufficeret in emptore ad constituendam læsiōem justii pretii ultra dimidium: cum juxta adversarios minime haberetur, etsi pro illa emptor dedisset centum et quinquaginta duos florenos, sicque in quinquaginta duobus læsus existeret; sed requireretur, quod plus quam ducentos dederit, sicque plus

quam in centum læsus manere; cum tamen in eodem casu sufficeret in venditore læsiō in quinquaginta duobus consistens.

338. *Et confirmatur.* — Confirmatur: Ille emptor dicitur revera lædi pretio ultra dimidium, qui præter, seu ultra totum justum pretium dat, quod dimidium, seu mediam partem totius illius justii pretii adhuc superat; atqui emptor dans centum et quinquaginta duos florenos pro re, quæ juxta infimum justum, tantum centum valet, præter totum justum pretium, centum nempe florenos, dat adhuc, quod hujus totius justii pretii mediam partem, quinquaginta nempe florenos superat; ergo illud dans revera læditur ultra dimidium justii pretii, nec requiritur, et Adversarii volunt, quod in hoc casu ultra ducentos solvat; quia sic læsiō non tantum foret ultra dimidium, sed ultra totum justum pretium, simulque in duplo illius, quod in venditore læsiōem ultra dimidium constituit; quod admitti sane non debet ob magnam venilitorem inter et emptorem inæqualitatem, quam æquitas justitiæ commutativæ in contractu reciproco nullatenus admittit.

339. *Solvuntur adversariorum instantiæ.* — Obijciunt adversarii faciendo aliam, et quidem sequentem computationem læsiōnis ultra dimidium justii pretii. Venditor juxta omnes tunc dicitur lædi ultra dimidium, quando nec dimidium partem justii pretii accipit pro re, quam vendit: ergo etiam emptor tunc solum ultra dimidium læditur, quando nec dimidium valorem rei accepit pro pretio, quod dedit. Subsumunt: atqui quando pro re, quæ tempore contractus valet centum, non dat plus quam ducentos, sed tantum ducentos vel minus v. g. centum et quinquaginta duos florenos, accipit revera dimidium, vel plus quam dimidium valorem pretii, quod numeravit; cum accipiat rem valentem centum florenis, qui utique sunt media pars ducentorum florenorum, vel plus quam media pars centum et quinquaginta duorum florenorum, quos pro re illa expendit. Resp. negando totum subsumptum argumenti: non enim, uti supponit argumentum, æstimatio et computatio læsiōnis desumi debet a re, quam accipit emptor, sed a pretio, quod dat, ita videlicet, ut, sicut damnum venditoris consideratur ex eo, quod minus acceperit, sic vicissim damnum emptoris consideratur ex eo, quod plus dederit; ut bene observat Covarruvias, lib. II. *Variar. resolut.* cap. III, n. 8, tum quia emptio ven-

ditio a pretio considerandi est, non ab eo, quod utrinque datur, sicut permutatio pecuniæ cum re, sed æstimatio ad pecuniam; tum quia alias supra n. 337 et 338, allegata sequeretur magna justitiæ commutativæ adversa inæqualitas juris ac beneficii emptorem inter ac venditorem.

340. *Actio ob læsiōem ultra dimidium competens, est actio empti, vel venditi.* — Quæritur IV. Qualis sit actio læso ultra dimidium justii pretii competens? Item quid et quantum operetur? Resp. I. Si agit venditor contra emptorem, est actio ex vendito, seu venditi: si vero emptor contra venditorem agit, est actio ex empto, seu empti. Ita Bartolus, Harprecht, et communis aliorum contra Cynam, Hunnium, et alios. Fundamentum conclusionis est: tum quia, uti ex dictis constat, actio empti et venditi ad ea omnia proseguenda datur, ad quæ præstanda venditor emptori, et hic illi tenetur, nisi specialis actio in jure præscribatur, arg. l. *Julianus.* 13. et l. *Empto.* 11. ff. de *Action. empti.* tum quia sub actione empti, et venditi cadunt ea omnia quæ sunt minoris et consuetudinis: l. XXXI. § 20. ff. de *Ædilit. edit.* ergo multo magis quæ sunt juris; tum quia actio empti, et venditi determinate etiam datur ad rescindendum justis de causis contractum, cit. l. *Ex empto.* 11. et l. *Julianus.* 13. ff. de *Actionibus empti.* ergo a fortiori datur disjunctive ad rescindendum contractum, vel suppleendum pretium.

341. *Emptor ultra dimidium lædens tenetur vel defectum pretii supplere, vel rem iterum restituere.* — Resp. II. Actio ex læsiōe ultra dimidium justii pretii competens venditori hoc operatur, quod emptor lædens teneatur vel supplere defectum pretii, vel rescindere contractum, et rem venditori iterum restituere: et vicissim venditor lædens teneatur vel excessum pretii restituere emptori, vel rescindere contractum, remque venditam refuso toto accepto pretio iterum recipere. Prima pars est extra controversiam ob clara jura lib. II. c. de *Rescind. vendit.* et l. *Si voluntate.* 8. c. eod. juncto c. *Cum causa.* 6. h. t. vi quorum expresse disponitur, quod venditore ultra dimidium justii pretii, vel rescindere contractum, ita ut obligationi suæ satisfaciatur, si pro libitu alterum faciat. Secunda pars communiter docetur a doctoribus ob paritatem rationis, obligationem reciprocam, ac correlationem mutuum, quæ venditorem inter ac emptorem

in contractu emptionis venditionis intercedit, juxta dicta superius n. 333.

342. *Nec satisfacit restituendo tantum, quantum sufficit, ne læsio sit amplius ultra dimidium. Idem proportionaliter de venditore lædente dicendum.* — Resp. III. Præfata actio insuper elicit, quod emptor lædens, vel rescindere contractum, vel supplere totum defectum justii pretii teneatur, ita ut neque in foro externo satisfaciatur, tantum addendo, quantum sufficiat, ne amplius sit læsio ultra dimidium v. g. si pro re centum valente dedit quadraginta octo florenos, non sufficit addere tres vel quatuor; sed requiritur, ut adhuc quinquaginta duos addat, sicque totum defectum justii pretii suppleat, centum tanquam justum pretium efficiendo. Rursus communis ac certa contra Cujacium, arg. cit. lib. II. c. de Rescind. vend. et c. Cum causa. 6. h. t. ubi expresse præcipitur, ut vel rescindat contractum, vel suppleat, quod deest justo pretio: non suppleretur autem justum pretium, si tantum id adderetur, quo læsio constituitur extra dimidium; cum pretium adhuc maneret injustum; ut consideranti patet: ergo. Idem ob identitatem rationis cum proportione de emptore dicendum est.

343. *Si læsio facta est bona fide, et emptor iterum restituit rem emptam, potest fructus interea perceptos retinere.* — Resp. IV. Si læsio ultra dimidium facta est bona fide, et emptor, uti potest, eligat rescindere contractum, et restituere rem emptam, non tenetur una cum illa restituere fructus ex ea interea perceptos, sed potest eos in utroque foro retinere, Gutierrez, 2. p. qq. quæst. 134; Molina, disp. 349; Fachin., lib. II. cap. xxiv; Layman, tract. IV, cap. xvii, n. 8; Lessius, l. II. cap. xxi, dub. 15; Pinell., part. II, cap. iv, n. 1, cum communiori aliorum contra Covarruviam, lib. II. Variar. resolut. cap. iii, n. 9, et alios ab eodem ibi citatos, ubi tamen in medio fatetur, nostram sententiam esse praxi receptam. Patet conclusio imprimis per jura et rationes, quibus toto § 8. docuimus, perfecta emptione venditione periculum et comoda rei pertinere ad emptorem tanquam dominum. Probatur etiam specialiter ex c. Ad nostram. 11. de Rebus Ecclesie alienand. ubi ob enorme dispendium, quod ex venditione feudi monasterio illatum est, jubetur emptor recepto pretio feudum restituere, fructus autem interea perceptos retinere permittitur, « Cum sibi fructus percepti suffi-

cere debeant pro labore; » ut ibidem ait Pontifex.

344. *Solvitur lex in contrarium allegata.* — Objicitur I. Lex. 1. c. Si major fact. alien. ubi habetur, in arbitrio emptoris esse, « an velit possessionem cum fructibus restituere. » Respondetur cum Gutierrez, loc. cit. in casu hujus legis duplex vitium intervenisse. Unum, quod res minoris absque decreto judicis fuerit vendita; ex quo contractus fuit nullus. Alterum, quod contigerit læsio ultra dimidium. Quia tamen dictus minor, postea major factus ratificavit venditionem, ignarus, quod prius facta esset invalida, concessa est emptori electio, vel supplere pretium, vel possessionem cum fructibus restituere; alias enim, si ratificatio secuta non fuisset, debuisset emptor vi prioris vitii contractum annullantis, prædium cum omnibus fructibus necessario restituere; prout citati doctores bene observant.

345. *Cur una cum re restitui debeant fructus, si rescinditur contractus vi pacti commissorii, vel additionis in diem? et non dum rescinditur ob læsionem ultra dimidium.* — Objicitur II. l. Item quod, 6. l. Imperator. 16. ff. de In diem addict. l. Lege fundo. 5. ff. de Lege commiss. in quibus expresse habetur, quod rescisso contractu teneatur emptor rem una cum fructibus restituere: ergo etiam in casu læsionis ultra dimidium emptor id facere debet, si rescissionem contractus eligat. Resp. negando consequ. et paritatem. Disparitas est, quia si emitur res cum pacto additionis in diem, vel legis commissoriæ, item si actione redhibitoria resolvitur contractus, reducitur res in eum statum, ac si emptio non fuisset, nec aliquis contractus extitisset, prout supra jam diximus arg. l. XXIII. § 1. ff. de Edilit. edict. juncta l. LX. ff. de Edilitio edict. ibi: « Omnia in integrum restituantur perinde, ac si neque emptio, neque venditio intercessisset. » Secus est, quando ob læsionem ultra dimidium contractus rescinditur, eo quod in hac rescissione contractus nulla lege in eum redigatur statum, ac si nunquam fuisset, consequenter fructus intermedio tempore, ab emptore tanquam domino percepti, ejus manebunt.

346. *Venditor tenetur emptori refundere meliorationes, si læsio ultra dimidium bona fide contingit.* — Resp. V. Si læsione bona fide facta emptor eligat contractus rescissionem, tenetur ei venditor refundere expensas, si quas interea in necessarias, vel utiles rei

meliorationes fecit, Baldus, in lib. II. c. de Rescind. vendit.; Pinell., p. II, cap. iii, n. 2; Haunold., loc. cit., n. 261, eoque teste communis et vera aliorum contra Salicetum. Ratio est, quia universaliter bonæ fidei possessori, casu quo rem iterum restituit, sumptus ac meliorationes restitui debent, l. Si prædium. 16. c. de Prædiis minor.

347. *Sicut fructus, et comoda, sic etiam pericula pertinent ad emptorem in casu læsionis ultra dimidium.* — Resp. VI. Sicut fructus et comoda, ita etiam periculum ad emptorem pertinent, ut proin defectum justii pretii supplere debeat, etiamsi res interea apud ipsum, vel etiam apud venditorem (absque hujus culpa) pereat. Abbas, in c. Cum dilecti. 3. h. t. n. 10; Joan. Andr., in idem c. n. 2. et communis canonistarum, cum quibus etiam sentit Imola, in c. Cum causa. 6. h. t. n. 19; Layman, loc. cit., n. 259; Covarruvias, lib. II, cap. iv, n. 14; Molina, disp. 349, n. 6, ubi pro se communem citat. Probatur conclusio legibus, et rationibus, quibus supra n. 213. universaliter ostendimus, pericula rei venditæ ad emptorem pertinere. Habentur autem ibidem certæ limitationes, cum quibus et hanc conclusionem proportionaliter intelligi volumus. Confirmatur: quando duo disjunctive sunt in obligatione, si unum perimitur, vel non amplius extat, alterum debetur, l. Plerumque. 10. ff. de Jure dotium. l. Si Stichum. 16. ff. de V. O. ibi: « Si Stichum aut Pamphilum mihi debeat, et alter ex eis meus factus sit ex aliqua causa, reliquum debetur mihi a te; » ergo etiam in præsentia, quia emptor vel rem restituere, vel defectum pretii supplere tenetur; si res non amplius extat, pretium supplere debet.

348. *Decipiens emptor ultra dimidium dolose, debet una cum re etiam fructus restituere. Nisi deceptus eligat pretii supplementum.* — Resp. VII. Si læsio ultra dimidium justii pretii facta est dolose, et ex mala fide emptoris, emptio venditio ipso jure est nulla, tenenturque emptor una cum re etiam fructus perceptos omnes restituere. Abbas, in cit. c. Cum dilecti. 3. h. t., n. 6, cum communis aliorum. Ratio est, quia quandocunque dolus dat causam contractui bonæ fidei, qualis est emptio venditio, § Actionum autem, 28. Institut. de Action. contractus ipso jure est nullus, l. Et eleganter, juncta Glossa, §. Si in hoc ipso. ff. de Dolo malo, l. In causa. § 1. ff. de Min. et l. Ea vero. 3. § fin. ff. Pro socio: Et

amplius diximus supra lib. II. tit. de Dolo, et contumacia. n. 14. et seqq., ubi autem contractus est nullus, emptor nullum acquirit rei emptæ dominium, nullumque alium habet titulum justam fructus faciendi suos: ergo. Quod si vero venditor deceptus nolit restitutionem rei, sed eligat pretii supplementum, tenebitur ad id emptor dolosus; quia illud, quod dolus dans casam contractui bonæ fidei, contractum annullat, intelligendum est, si deceptus velit, si enim nolit, illum esse irritum, valebit in præjudicium dolosi, ne dolus prosit doloso contra c. Sedes. 15. et c. Ex tenore. 16. de Rescript. simulque quia deceptus, et non decipientibus jura subveniunt, c. Cum universorum. 8. de Rerum permut.; Abbas, loc. cit. n. 8, et dictum est supra cit. lib. II. tit. de Dolo et contumacia, n. 16.

349. *Actio contra lædentem ultra dimidium bona fide durat triginta annis, contra lædentem mala fide, perpetuo.* — Resp. VIII. Actio ob læsionem ultra dimidium institui potest usque ad triginta annos. Abbas, in c. Cum causa. 6. h. t., n. 6; Glossa, et Baldus, in cit. lib. II. de Rescind. vendit.; Molina, disp. 349, num. 15, cum communi aliorum. Ratio est, quia cum hæc actio habeat paratam viam in jure, eodem tempore durat, quo durat actio personalis, triginta nempe annis, l. Sicut. 3. c. de Præscript. triginta ann.; Abbas, l. cit. Intellige conclusionem, si læsio facta est bona fide; nam ubi mala intercessit fides lædentis, perpetuo durat, et nullo tempore præscribitur; quia « possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit. » Reg. 2. jur. in 6, concordat c. fin. de Præscript.

350. *Minoribus, et Ecclesiis, etsi infra dimidium in pretio lædantur, conceditur actio.* — Quæritur V. An vi legis 2. c. de Rescind. vendit. universaliter omni, et soli læso ultra dimidium justii pretii in quocunque casu sine ulla limitatione competat actio? Resp. I. Quamvis regulariter loquendo non nisi læso ultra dimidium juxti pretii competat actio, prout constat ex cit. l. II. c. de Rescind. vendit. Nihilominus dantur casus, in quibus etiam infra dimidium in pretio læsis actio conceditur, non quidem ex dicta l. II, sed aliis legibus. Probatur inductione. Sic enim imprimis minoribus viginti quinque annis conceditur, actio contra graviter lædentem; etsi læsio sit infra dimidium; Palao, de Justit. commut. disp. 5. punct. 17. n. 8, cum com-